

Dissertatio inauguralis medica, de strumis ac scrophulis Bünsgensium ... / [Johann Mittermayer].

Contributors

Mittermayer, Johann.
Fischer, Johann Andreas, 1667-1729.
Universität Erfurt.

Publication/Creation

Erfordiae : Typis Groschianis, [1723]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/r2ncxy45>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. F. F. Q. S.
 DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
 DE
STRUMIS AC SCRO-
PHULIS BÜNSGENSIUM,
 QVAM,
 DIVINI NUMINIS AUSPICIO,
 MAGNIFICO UNIVERSITATIS RECTORE,
 REVERENDISSIMO ET PERILLUSTRI DOMINO,
 DOMINO
JO. JOACHIMO HAHN,

EPISCOPO METELLOPOLITANO,

Eminentissimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Moguntini, per Thuringiam, Hassiam & Eichsfeldiam, in Pontificalibus, Vicario Generali, Ejusdemque Archi-Episcopalnis Curia Pro-Vicario Generali, SS. Theologiæ & Juris Vtiusque Doctore, Protonotario Apostolico, Comite Palatino, Insignium Ecclesiarum Collegiatarum ad Gradus B. M. V. & ad S. Joannem Moguntiæ, respective Scholaftico, Canonico Capitulari, & reliq*v.*

*CONSENSU AC DECRETO GRATIOSI MEDICORUM
ORDINIS*

IN PERANTIQVA ELECTORALI HIERANA,
SUB PRÆSIDIO

**DN. D. JOHANNIS ANDREÆ
FISCHERI,**

CONSILIARII ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGUNT. COLLEG. MED. SENIORIS, PATHOLOG. ET PRAX. PROF. PUBL. PRIMAR. NEC NON MED. PROVINCIAL. DUCAL. ISENAC.

PATRONI, PROMOTORIS ET HOSPITIS SUI COLENDISSIMI,

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME CAPESSENDI,

PUBLICÆ PLACIDÆ QVE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT
AVCTOR ET RESPONDENS

JOANNES MITTERMAYER,

Kuffsteinio - Tirol.

AD DIEM XXV. JANUARII, A. O. R. MDCC XXIII.
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS H. C.

ERFORDIE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.




Fig. II.



Fig. I.







PRÆFATIO.



Qvidem benignum Numen hominem præ reliquis in creatione omnium rerum ad imaginem sui ipsius condidit & tam ratione mentis quam corporis ita ornavit, ut præcellentia ejusdem præ omnibus ubique pateret; verum enim vero post deplorandum sane protoplastorum lapsum tot tantæque infirmitates & defectus humanum genus infestant atque dedecorant, ut etiam brutis inferiorius eapropter quandoque videatur. Hoc maxime constat, si Medicorum castra quis sequitur, ibi enim tot imo multo plures occurrunt morbi ac nævi corporis observandi, quam partes illud constituentes numerantur, & hoc quidem eo magis, dum ob diætam hujus temporis vitiatam & depravatam aliosque errores vitæ nostræ qualibet fere die nova satisque periculosa suboriri solent mala; imo in quibusdam regionibus, vel inter nonnullas gentes populosque ii-

morbi, qui ob frequentiam & pertinaciam suam endemii atque hæreditarii quasi facti sunt, in statum ipsis plane naturalem abeunt, ut ne quidem medelam adversus illos expetant. Hujus asserti certissimum præbent testimonium inter alia strumæ ac scrophulæ, cum hæ multis nationibus quam maxime familiares sint, habitantibus præcipue in locis paludosis, montibus ac collibus obsessis aliisque v. gr. in Silesia, Carinthia &c. Inter quæ tamen Comitatus Tirolensis notari meretur, nam ibidem in tractu Bünsgensi nemo nascitur & vivit, qui non hac labe inficiatur, adeo ut advenis vel proficiscentibus structura elegantiori corporis præditis vitio ab incolis vertatur, ac si membro ab iis pro principali habito destituerentur, & si quandoque nascitur infans sine ejusmodi tumore monstroso, pro imperfecto habent, ac aram Deumque venerantur argenteis vel aureis ad similitudinem efformatis strumis sacra loca exornando, precibusque impense fusis hoc decus eximium pro recens nato exorant, quod etiam facile assequuntur, cum diæta illorum satis sufficiens sit in progressu ad ejusmodi tumores excitandos. Quod cum ex autopsia confirmare queam, qui sæpius loca illa transmigravi, non inconsultum esse duxi, si loco speciminis publici hodie exhibendi monstrosum illud genus hominum in scenam ducerem, & quidem speciatim Strumas ac Scrophulas Bünsgensium in Dissertatione mea Inaugurali proponerem atque pro viribus explicarem. Faxit DEUS T. O. M. ut omnia e voto ad sui Nominis proximique salutem feliciter succedant.

S. I.



Um ad cognitionem rei haud parum conferat, si vocem ejusque originem rite intelligamus, hic de Strumis ac Scrophulis Büngensium acturus nominis rationem paucis præmitto. Græci antiqui hunc morbum *χοιρας* appellantur vel *άπο τῶν χοιράδων πετρῶν* seu a chœradibus petris sic dictis, *χοιρας* enim saxum sub mari nigrum asperumque & aliquantulum eminens denotat, ut porco nanti simile videatur, cui quidem scopulo hic morbus assimilari potuit, juxta Sennertum *Pract. Lib. V. Part. I.* cap. 33. p. m. 831. vel a porcis in quorum gutture sæpius observantur, inde Latinorum etiam Scrophulæ a Scropha deducendæ videntur. In vernacula Kropff sive Gröppfe audiunt, forsitan a comparatione ab ingluvie pennatorum desumpta, quæ nobis pariter der Kropff dicitur & in anteriore colli parte, præcipue si alimentis repleta fuerit, eminenter conspicua est.

S. II.

In definiendis autem hisce Strumis eas cum Galeno 14. *Meth. med. cap. II.* Scirrhosos tumores potissimum glandularum colli esse dico, a sero viscido vel materia tartarea seu terrestri aliave oriundos. Hic liquido constat, me non, ut nonnulli volunt, quoscunque tumores vel etiam ulcera scirrhosa in quibusvis corporis glandulis vel partibus reperienda subintelligere, cum potius præsentis instituti ratio strictiore vocis sensum requirat & strumarum nomen iis proprie assignet, quæ in collo & glandulis ejusdem observantur; neque attingo differentiam, quam inter Scrophulas & Strumas secundum Sennertum l. c. constituunt, dum scribunt, Scrophulas esse induratos & intra membranam aliquam conclusos in glandulis tumores, qui si ex carne generarentur, tum essent strumæ dicendæ, nullius enim momenti est, cum plerique auctores probati ad illam non attendant ac has voces promiscue sumant; si vero aliquid de

illis dicendum, mallem ego quidem cum clariss. Sperlingio
P. P. Witteberg. in *Dissert. ejusdem de Strum. ac Stroph.* 1707.
babita §. 4. per Strumam tumorem simplicem, per Scrophu-
las autem magis multiplices & plerumque minores signifi-
cari optime. Sed & in his non rigorosior ero, ac cum aliis
si quibusdam ita placet, pro synonymis habere non re-
cusso.

§. III.

Differunt tamen hi strumosi tumores colli inter se mul-
tisarie: Si magnitudinem spectes, observabis vel maiores, qui
ut plurimum solitarii visuntur ac viris magis quam sexui se-
quiori familiares esse solent, & hi quidem huc potissimum
spectant; namque Büngensium strumæ adeo ingentes ac
monstrosæ sunt, ut etiam ad genua usque quandoque de-
pendeant, sicuti videre est in iconæ ejusmodi strumosi præ-
fixa fig. I. aliæ minores occurunt mulierculis potius frequen-
tes, quamvis utraque specie haud raro viri fœminæque cor-
ripiantur, quantum vero quantitate prioribus cedunt, id nu-
mero supplant, dum totum fere collum cingunt, & multi-
tudine accrescente in molem satis notabilem atque molestam
coacervantur, distinguuntur porro variis interstitiis seu fo-
veis, ut uvarum baccas ex eodem racemo dependentes quasi
imitentur, vel quandoque etiam alterutro laterum anne-
ctuntur magis, & in humerum sese reponunt vid fig. II.
vel mediocres notantur, qui nec ad maiores nec ad mi-
nores sive multiplices jure referri possunt, Büngensibus
ipsis quidem non adeo communes sunt, quam peregrinis
illuc accendentibus ac cum illis eandem diætam exercenti-
bus, sic enim indubitato strumis corripiuntur, medii tamen
ut ita dicam moduli, in aliis quoque locis frequentiores
oriuntur, vel ex assumptis alimentis illaudabilibus ac crassis,
crudum chylum sanguinemque efficientibus, ex quibus glan-
dularum obstructio, vel in parturientibus ex partu difficulti,
vel ex alia quacunque causa violenta, & tunc accuratiore-
bus, uti annotavit Sperlingius l. c. Bronchocele nominantur.
Ex his facile patet strumas dari multitudine distinctas, ut-
pote

pote quæ simplices & multiplices observantur. Quæ vero natura illarum sit mox videbimus, ubi de symptomatibus agendum erit.

§. IV.

In signis strumarum ac scrophularum non adeo occupatus ero, cum per se satis nota atque manifesta sunt & præterea ex modo dictis atque dicendis facile innotescere possunt, quicunque etiam semel strumam vident, non amplius opus habebit explicationem signorum, sed sufficienter distinguet externo conspectu strumosum à sano; progredior itaque ad reliqua.

§. V.

Hi tumores substantia gaudent modo duriori, modo molliori, maiores tamen non tantam duritiem firmorem præ se ferunt, sed admodum flaccidæ apparent, ita ut Bünsgenses hoc ornamentum suum facili quoque negotio in humeros & post tergum ponere ac reclinare possint; & sic aliaz mobiles deprehenduntur, quales modo dictæ, partes externas magis occupantes, aliaz fixiores, dum versus interiora partibus firmius adhærent. Dantur porro mutabiles aliaz seu crescentes & decrescentes, aliaz stabiles seu constantes; aliaz acquisitæ vel adventitiae, hæreditariæ aliaz &c. de quibus suo loco.

§. VI.

Sedem suam ordinarie in collo circa tracheam atque œsophagum figunt, quamvis interdum etiam latius sese extendant & inde simul cervicem cum nucha occupent, imo ad processus mammillares usque procedant, attamen versus pectus mole continuo inclinant. Partes lœfæ autem sunt glandulæ illius loci, sic allegavit Bonetus *sepulchr. Libr. IV. Sect. 2. p. 1527.* ex Sylvio, in virgine strumosa e glandulis colli congregatis dissectis materiam pultaceam & veluti gypsem erupisse, conglomeratas autem vicinas nihil mali passas esse, alii tamen magis in conglomeratas culpam rejiciunt, quia vasorum minorum sunt congeries & ita ob difficultatem lymphæ crassioris transitum stagnationem ejusdem & crassamenti

menti remanentiam leviori negotio admittunt. Utrumque vero statuendum judico, cum utraque species glandularum obstructionibus valde obnoxia sit, quando humores nostri corruptur cruditatibus, uti in sequentibus declarabo. In specie observavit Barbette *Prax. Lib. II. cap. 2.* glandulam salivalem superiorem interdum & inferiorem affectam fuisse.

§. VII.

Mirandum tamen non est, in iis subjectis, qui hoc morbo corripiuntur, viscera quoque reliqua & glandulas mesenterii aliasque interiores vitiatas eademque materia pecuniosa impletas reddi; circulatio enim humorum per totum corpus esse solet, unde ubicunque glandulæ sunt obstructio a sedimento seri aut sanguinis terrestri locum inventit. An vero tunc etiam strumæ dicendæ, non affirmarim, quippequæ ratione loci, naturæ & symptomatum astricte sic dictis longe differunt, & hinc melioris distinctio-
nis gratia speciali nomine vel scirbi, aliusve merito ve-
niunt.

§. VIII.

Memini, me ex ore viri Magnif. D. Rivini, apud Lips. P. P. & Fac. Med. Decani, Praeceptoris atque Patroni mei ad cineres usque devenerandi, audivisse, quod aliquando canem dissecuerit, qui ob strumam colli anticæ parti adnatam vix laqueo suffocari potuit, & in illo quidem glandulas Warthonio sic dictas Thyroideas inferiori laryngis regioni adstantes induratas maxime & tumentes reperit, ita, ut ingens externa etiam specie apparuerit struma; quod eo magis notari meretur, cum in canibus rarissime observetur hic affectus. Nullum tamen est dubium, quin & hæ glandulæ pariter in hominibus strumosis excrescentiis plerumque sedem præbeant, cum præ reliquis situ aptissimæ videantur.

§. IX.

Strumas autem propria includi membrana secundum veterum recentiorumque sententiam e sectionibus quoque de

demortuorum demonstrat Bonetus *l. c.* aliisque plures testantur; quibus fidem omnino dandam esse censeo, quælibet enim glandula proprio involucro suo gaudet, dumque hæc obstruitur ac materia peccante impletur, ut nimium extendatur & substantia ipsa interior corruptatur, postmodum sane si aperiatur mali sedem in proprio folliculo invenies, quod præterea in steatomate, meliceride &c. luculenter videri potest. Sed absolute negandum non est, quod aliquando etiam sine propria conspiciatur tunica, nam strumosæ quoque excrescentiæ colli in musculosis, tendinosis & membranaceis partibus attendendæ erunt v. gr. in Bronchocele sic dicta, quæ ex fortiori motu vel partu difficiili simili ortum trahit, ubi nimirum ex fibrarum vel vasorum nervorum disruptione humidum nutritivum fibras varie extendit, & luxuriantem carnem seu tumorem fungosum ac scrophulosum mole sæpius notabilem efficit,

§. X.

Dum Strumæ atque Scrophulæ in benignas ac malignas dispescuntur, notandum occurrit, benignarum nomine insignitas paucis symptomatibus esse obnoxias, de quibus Bünsgenes nostri optime testari possunt, cum enim morbus hic apud illos pulchritudinis species sit, ne quidem symptomata attendunt, & si quæ accidunt, patienter ferunt, imo huic tumoris causam neutquam tribuere audent, ne in DEum injurii fierent pro hac concessa elegantia strumæ. Omnes autem difficillime respirant, spiritumque trahunt, quod ex compressionæ tracheæ a glandulis induratis effici liquido constat, sic enim liberior aëris transitus per arteriam asperam fatigatus impeditur, ut non sine molestia quadam aërem inspirare ac remittere queant; hinc etiam loquela illorum admodum mutilata & corrupta fit, dum magno conatu & miris gestationibus verba male articulata proferunt, quæ a peregrinis vix ac ne vix quidem intelliguntur; inter loquendum præterea moventur strumæ seu scrophulæ, quod iter facientium oculos sæpius in admirationem vertit. Accedit stertor narrum, raucedo & asperitas gulæ, unde voce obtusa & rauca

nec unquam clara gaudent, hujus causam in pituitam reponendam puto, tanquam omnibus communem, ut continua quasi gravedine laborare videantur.

§. XI.

Curiosa est observatio, quam Bonetus l.c. ex Nic. Fontanii Resp. & Cur. med. allegat, videlicet juvenem strumis, quæ gulam asperamque arteriam simul adeo compresserant, ut neque potus vel ipse aër transire posset, mortuum esse, cuius dissecto cadavere repertæ fuerunt in orificio stomachi &c. Certum omnino est, morbum huncce pertinacissimum adeo esse constantem, ut raro malignitatem contrahat, experientia tamen probari potest, quod etiam quandoque graviora symptomata producat, præsertim si non hereditarius sed adventitius sit, ac crescat & decrescat variasque mutationes subeat.

§. XII.

Plurimæ indolentes sunt, testimonio, quod pauci vel ad minimum exigui admodum ramuli nervi simul afficiantur, nimirum dum glandulis aut substantiaz carnosaz inhærent. Maxime e contrario molestaz sentiuntur malignaz, dum vel punctorio, tensorio, pulsatorio vel alio quocunque dolore continuo vel temporario pro varietate tempestatis turbidaz aut humidaz incommodaz fiunt. Hoc autem a vasis vel nervis vel arteriosis aut venosis derivandum duco; nam si nervi simul impliciti fuerint, sane eo magis sensibiles redundatur dolorque excitatur punctoriis, dum extenduntur vel comprimuntur duritie tumoris, ab arterioso sanguine venas difficulter subeunte facile notatur pulsus & tensio, quando reflexus humorum coacervatorum prohibetur & tumor quotidie fere accrescit, quod non æque observatur in aliis.

§. XIII.

Hinc quoque rubor in nonnullis dependet, cum alias mitioers cuti concolores existant; rubent vero absque periculo etiam aliquando a vini generosioris potu, item ex usu aromatum, similiumque, sine hujusmodi causa manifesta & innoxia

innoxia color rubicundus & inflammatio semper mali quid minari videtur, atque naturam ibi occupatam esse testatur, quæ sibi relicta vix sufficit ad hunc morbum constantem tollendum, sed in pejus malum degenerare facit. Attamen hæc symptomata rarius ægros illos invadunt, nisi malum fortioribus medicamentis discutientibus aut suppurantibus commoveantur, ac materia peccans cum vehementia quadam impellatur, vel etiam externa quævis violentia accedat: Sic enim omnino inflammationem & suppurationem admittit imo & in ipsum cancrum degenerat teste Boneto l. c. ex Platero.

§. XIV.

Dum in causam strumarum inquiero, prius observari debet alias esse hæreditarias alias adventitias. Hæreditariæ virtio parentum & quidem matris maxime producuntur. Quemadmodum enim gravidæ imaginationis phantasticæ vi fœtui in utero permultos nœvos imprimit, unde stupenda interdum monstra in lucem prodeunt, ita & hoc in passu procedit, dum mater ex strumosorum quotidiano aspectu atque conversatione cum ipsis ejusmodi ideas erroneas concipit, quas anima in embryonis formatione prosequitur & in actum ducit. Platerus causam in semine & facultate formatrice in utero querit, ac scrophulas ubi sunt alicui loco familiares, a parentibus in liberos propagari statuit, annotante Boneto l. c. in quo cum ipso eo lubentius consentio, præcipue si parentes ipsi fuerint strumosi, cum aura seminalis seu spiritus plasticus jamjam ad ejusmodi errores prædispositus sit, & præterea quoque semen in pituitosis subiectis spissius existat imo quandoque fæculentias copiosas secum ferat, ansamque ita huic affectui facilius det, causa tamen efficiens & principalis anima formatrix est.

§. XV.

Accedit prava diæta, quam hæc gravidæ amant atque exercent, quando alimentis vescuntur crudioribus, tartareis, pinguioribus & his tumoribus scirrhofis quammaxime aptis,

de quibus inferius, nam hac ratione non tantum sibimet ipsi noxiæ sunt, quam quidem embryoni, qui nutrimentum suum a matre accipiens, omnino his cruditatibus inficitur & ad strumas disponitur, si dein anima vel levissime in formandis partibus ad eas inclinet, omnia invenit parata, ut inceptum ex aße continuare possit.

§. XVI.

Sicuti vero hæreditariæ patris matrisve aut utriusque culpa fœtum infestant, ita ex adverso adventitias quilibet sibimet ipsi acquirit potius, & hoc quidem errore sex rerum non naturalium medicis dictarum tanquam causarum antecedentium sive occasionalium. Quod quam maxime etiam in Bünsgensibus nostris patet, uti mox declarabo.

§. XVII.

Inter has res non naturales primo quidem occurrit Aér, qui dum purus, serenus, verbo dicam, si laudabilis est, omnino cibus vitæ dici meretur, cum inter inspirandum spiritus nostros vitales, quippe qui igneæ & aéreæ naturæ sunt quadantenus, nutrit atque conservat; quantam vero nobis salutem rite constitutus fert, tanta & sane multo majora efficit mala, si fuerit depravatus. Sic anni quatuor tempora ob mutationem aëris variam peculiares suos producunt morbos, ubi frigida, humida, nebulosa & similis tempestas catarrhos, paralysin, apoplexiam &c. excitat. Quid, quod inde, si quibusdam regionibus aér impurus frequens & communis sit, morbi pariter oriuntur endemii.

§. XVIII.

Strumæ ac Scrophulæ nostræ de hoc inter alia certius testantur, quando in locis paludosis vel exhalationibus multis obnoxiis deprehenduntur ferme omnibus affixæ. Comitus Tirolensis & in eo præsertim Bünsgensium tractus, qui undique collibus vallibusque scatet, stagnantibus aquis ut & paludibus repletus, ubi fodinæ metallorum, salis, calcis, aliæque reperiuntur copiosius, aëre minus salubri præditus est, dum enim exhalationibus istis metallicis, tartareis, sulphureo salinis, putridisque repletur, tantas humorum efficit

cruditates impuritatesque, ut miseri incolæ vitam continuo morbidam imo breviorem degant; strumis autem hac ratione aër ansam præbet, crassamenti lymphæ & sanguinis depositionem faciendo in glandulis colli, tanquam loco aëri libero exposito, & tumoribus illis magis apto, cum aëris densitas & mala constitutio justam transpirationem ibidem prohibeat, poros ejusdem occludendo constringendoque.

§. XIX.

Cibus & potus corpus nostrum conservant, pariter & destruunt. Büngensium diæta merito depravata dicenda strumis sane haud exiguum dat incrementum imo ortuni ipsum, namque cibis vescuntur dispeptis potissimum v. gr. caseofisis, farinaceis, pingvibus & quæ alia hujus generis appetunt alimenta. Parant nimirum ex farina cum axungia vel butyro igne liquefacto pultem ipfis Sterz nominatam, vel globulos ex farina & affusa aqua formant eosque axungiae calefactæ immergunt, quos dein Nudeln appellant, hæc & similia fercula ipfis exoptatissima quotidie fere assumunt cum hilaritate quadam non vulgari, unde apud eos tritum est: Nudeln und Sterz, freu dich mein Herz. Imo famulantes servitium vix ac ne vix quidem subeunt, nisi per septimanam cibos hos aliquoties accipiant. Omnibus vero in universum commune esse solet, ut qualibet die saturni placentas in sartagine frixas, dictas Pfannkuchen comedant, & hoc quidem ex superstitione quadam illis admodum familiari; hinc strumas scrophulasque augeri vel etiam produci eo luculentius constat, cum farina præsertim secundaria seu crudior & furfuracea crudos quoque humores generet, & ita materiam det non ineptam, pingvia vero bilem quam maxime augeant & viscidam reddant, quæ his concrecentiis glutinis vices optime præstat.

§. XX.

De Potulentis eorum novimus utique, quod aqua simplex usitatissimum sit, hæc autem per totius anni tempora ex nivibus continuo montium summa cacumina obſidentibus liquefactis confluit, fontibus pariterque roris fœse admiscet, &

potum sic satis noxiū reddit, idem scaturigines præstant, dum particulas tartareas, gypseasque ex insimis terræ visceribus secum vehunt, imo dantur fontes, qui strumosos faciunt omnes, si ex iisdem bibant, & hæc omnia fiunt ob contentas admixtasque cruditates dictas, quæ sic massam sanguineam implent, unde tandem glandulæ obstruuntur actuientes strumosæque fiunt. Ditiores quidem cerevisia quoque utuntur, tantum vero abest ut aqua suam visciditatem gypseam hac coctione deposuerit, quin potius potatores suos eandem pœnam dare jubeat. Quamvis vero & alii potulentorum species dentur, quæ huc referri possent, eas tamen lubens prætermitto, brevitatis amans, cum & Bünsgen-sibus non in usu sint.

§. XXI.

Quod vulgo dicitur, qui bene ingerit, bene digerit & bene egerit, sanus est, concedendum quidem est, additis tamen certis limitationibus. De Bünsgensibus hoc certissimum, sicut fercula noxia sibi gratissima putant, quod eadem quoque optimè ingerant, solent enim tamdiu prandere usque dum adeo infarctus fuerit ventriculus, ut etiam nihil ulterius admittat, sic denique quietem subeunt, ut stomacho levamen fiat, verum quemadmodum immodice devorata fuere alimenta, ita pariter digestionem cunctino difficilem efficiunt, unde non pauca cruditatum quantitas colligitur quæ chylo admiscetur, si tandem resoluta quodammodo fuerit; egerunt etiam sine dubio more robustorum, non tamen sufficienter, cum semper aliquid remaneat, quod tandem coacervatur maxime; nec evacuationes per vomitaria, purgantia vel sudorifera curant, quamvis ipsis admodum proficuae forent, itaque haud virum, si etiam vitio retentorum & excretorum strumæ oriantur, cum præsertim ut supra monui, transpiratio insensibilis in collo ab libero aëre densiori impuroque plane impediatur, ut tumores eo facilius incrementum capere queant, ab intus flagmante ac concrecente viuicitate tartarea.

§. XXII.

§. XXII.

Circa motum & quietem hic quidem illud observandum, quod omnino strumosi etiam tumores dentur ex motu fortiori exorti, datur & Bronchocele ex partu diffici similius violenti causa, verum hæc respectu strumarum verarum improprie tantum ita nominatur, & in Bünsgensibus locum non habet, cum sua natura ad pigritiem plane proclives sint, & hac ratione potius quies his strumis maximam partem favere videtur, quia impuritates terrestres viscidæque in glandulis & superficie corporis levi negotio subsident ac permanent, quæ tandem condensantur, congelescant & in stupendam molem concrescant.

§. XXIII.

Quod somnum & vigilias concernit, in iis strumosi nostri circa vigilias nimias minime peccare consueti sunt, sed amantes segnitiem potius quietem somnumque petunt, quod, ut modo dixi, eatenus tumores adjuvat, quatenus humorum motus adeo deficit, ut ubicunque propulsî fuerint, spissitudines suas rite deponere ac strumosis excrescentiis illis eo commodius ansam præbere queant, quod & observamus in calculosis, qui plerumque ob vitam sedentariam & continuam quietem corporis manifestum calculi incrementum quotidie experiuntur, ii vero, qui vario motu corpus exagitant ut incalescat sæpius, contrarium potius sentiunt, dum ex calculi decremento levamen accipiunt luculentum.

§. XXIV.

Quid denique dicam de motibus animi? hi sane primario apud Bünsgenes ad strumas symbolum suum adjiciunt, alias quidem metus, mœror ac terror causæ esse solent congestionis ejusmodi vitiosk; verum cum plerique horum hominum strumosi in lucem veniant, utique constat, quod natura tumores hosce phantastico matris errore in ipsis formaverit, de hoc autem jam antea ubi de hæreditariis actum est, quamobrem cramben bis coctam non repetam, sed potius hic desino circa causas antecedentes, meque converto ad illas, quas Medici proximas & continentes appellant.

§. XXV,

Supra laudatus Bonetus l. c. allegat sectiones, ubi in glandulis strumosis materiam tartaream, gypseam atque terrestrem fuisse repartam testatur, ex quo manifeste videmus, quæ causa continens strumarum sit, & revera quoque non alia esse potest, quam particulae viscidæ, tartareæ, terrestres, salino-acidæ similesve spissiores, quæ ibidem mediante circulatione a massa sanguinea vel sero impuro & gelatinoso transcolato deponuntur continuo ac relinquuntur, ita successive substantia glandularum expanditur a materia peccante illa copiosiori, usque dum monstruosus ejusmodi tumor evadat, qui si inveteratus sit, tandem adeo pertinax esse solet, ut omne medicorum studium & operam eludat, nec sine vita periculo curari queat. Aliquando tamen quamvis rarius observatur etiam flatum inesse strumis istis, sicuti ipse memini, me in Tirolensi pago Kundel audivisse, famulanti cuidam strumoso Büngensi ibidem apud præfectum postarum a peregrinante & cum illo jocante de abscissione strumæ ingentis flaccidæ, cum per errorem pro dorso aciem cultelli adverteret, strumam dissectam fuisse, ubi nil nisi flatus exiit ex cavitate notabili, qui simul animam misero proripuit. Et sane dubium non est, si occasio quandoque esset Büngensium demortuorum cadavera secandi, quin sæpius similis cavitas in conspectum prodiret, quæ merum aërem occlusum retineret, hoc præterea ex nudo aspectu inclarescit, nam quandoque fere ad genua usque propendentes strumæ admodum flaccidæ & quasi excavatae tactu sentiuntur, in inferiori vero extremitate instar pili notatur globus durior quodammodo qui pondere suo quasi detrahere cutem videtur, nil tamen aliud est, quam glandula quædam affecta & temporis tractu adeo protensa & in fundum strumæ detraicta, in medio vero cavitas est, quæ flatum, ut modo dixi, includit, vel materia peccans eundem quoque locum occupat, sicut in plurimis videre est, & hoc in passu glandulas conglobatas affici, mihi credibile videtur. Si autem plures infarctæ fuerint glandulæ, vel etiam ipsæ conglomeratae, plures quoque

que concurrunt ductus & vascula varia, & hæ sunt scrophulae illæ duriores vel etiam molliores, quæ multiplices in collo apparent, nam pro varietate circumstantiarum varietas rei ipsius notatur.

§. XXVI.

Instituti præsentis ratio nunc urgere videtur, ut de extirpatione tanti mali sollicitus sim; at enim vero hæreο sa- ne quid faciendum, namque ex altera parte cerno miseros homines illos monstruosos potius delectari his tumoribus, tanquam ornamēto admirando, quod benigna natura ipsis præ reliquis mortalibus concessisset; nemo itaque illorum reme-dia querit, nemo quæfitis utitur, imo incrementum earum variorum remediorum ope magis confirmant; ex alte-ra parte obstat morbus ipse constantissimus pariter ac perti-nacissimus, præcipue si malum fuerit inveteratum vel plane hæreditarium atque endemium, quod tamen apud Bünsgen-ies omnes esse solet, & hanc ob causam medicus in harum cura felicissimus parum ibidem solatii vel lucri haurire pote-rit, nec gratiam obtinebit ullam, omnibus ac singulis foret ludibrio. Rebus itaque sic stantibus curæ tractatione opti-mo quidem jure supersedere possem; verum tempora mu-tantur & nos mutamur in illis, ita certius omnino credendum est, sicuti hisce diebus omnes disciplinæ artesque altius ex-coluntur & ad summum ferme indagantur, iis etiam ho-minibus, vel ad minimum posteritati eorum oculos occæ-catos apertum iri, ut ratione sana magisque exulta utantur, in considerandis illis nævis turpissimis ac excrescentiis maxi-me monstrosis, quæ seculi felicitas ipsis profecto sincere ap-precanda est. Interim mearum esse duxi, quæ circa curam morbi hujus innotuere experientiâ celeberrimorum medico-rum suffulta, ut brevissimis annexerem, hæc iis certe inser-vire possunt, qui iter facientes vel ibi moram aliquando ne-stantes his tumoribus corripiuntur & medelam desiderant, vel etiam aliis hujusmodi ægris, vel quod maximum, in summi Numinis majorem vergere poterit gloriam, quod ex providentia sua divina, sicut omnibus reliquis morbis, ita

& strumis ac scrophulis remedia sufficientia in natura de-
derit.

§. XXVII.

Curam itaque aggredior, ubi primo loqui lubet, de illa
strumas curandi methodo, quæ cum superstitione quadam
conjuncta est; hujus originem sane debemus empiricis, qui
persuasionibus sibi miserorum ærorum acquisivere fiduci-
am, unde sapientius quoque exoptatum experti sunt successum,
ita ut varia illorum adhibita remedia tandem ex supersticio-
ne vulgi pro adequatis sint habita, quamvis ratio adfuerit
nulla, quæ fundamenti loco esse potuisset, & hinc profecto-
factum est, ut etiam nonnulli medicorum celebriorum hæc
& similia instar arcanorum venditarint. Cum vero omnia
illa non nisi imaginationis vi operentur, nec medicos ratio-
nales deceat morbum sine ratione propellere velle, superva-
caneum esse puto, omnes horum remediorum species recensere,
ac hanc ob causam eas sicco potius prætereo pede, tanquam ne-
gligendas magis; atramen specificorum nonnulla hic recensabo,
quæ certo respectu admitti & defendi quodammodo possunt.

§. XXVIII.

Occurrit hic Petr. Joh. Fabri specificum, quod pançbym.
Lib. V. S. 1. c. 14. de natura apri, ita describit: *Cura horum (tu-
morum) pender ex scrophulis porcorum, quæ calcinari possunt, asper-
gi & unguenta inde parari, quæ multum profundunt ad euram horum
tumorum, eaque unguenta possunt roborari ol. destill. axung. porci, vel
ol. stillatiz. Scrophularum porcinarum, quod oleum specificum est
contra hujus morbi ferociam.* Huic addi merentur, quæ in Franc.
Osw. Grembs Arbor. integr. & ruin. l. 2. c. 1. leguntur: *Hanc
(strumam) abolere faciet usus pulveris spongiarum, qui decrecente Dā
quantitate cuspidis cultri cum aqua, cinamomi deglutiatur, spongia non
omnino comburatur, tum enim vis seminalis destruitur.* Ut alia non
atttingam, hoc tantum dico, specifica hæc & similia adeo lau-
data virtutem eminentiorem ex qualitate quadam occulta
per se minime possidere, nisi accedat phantastica quædam
imaginatio de sympathia vel antipathia, quæ naturam ad ma-
li remotionem fortius impellat. Oleis destillatis quicquid

tribuendum est, illud ceu acria, fœtida, discutientia, vel ex alia quacunque causa præstabunt; non vero appetet, quid spongiarum pulvis ulterius prodesse possit, quamvis crescente vel decrescente luna sumatur, cum ut mihi quidem videtur, sufficiens connexio inter strumam lunamque ac ejus insulatum haud adeopateat.

§. XXIX.

Famœla illa virtus, quæ manibus Regum Galliæ & Angliæ divinitus concessa vulgo putatur, ac si tactu solummodo strumosos tumores repellere atque abigere possent, si quæ est, non aliunde deducenda erit, quam ex impressione hominum superstitionis; quod etiam de amuletis plurimis similibusque dicendum, per se enim adeo efficaces neutiquam sunt, ut tam ferox malum tollere queant.

§. XXX.

Quod Philipp. Grünlingius med. cons. 2. 'obs. 23. pro presentissimo remedio habet, si patiens bibat ex cranio humano sepulti mediante cochleari facto ex stipite Hederae arbore-scentis & quæ Joh. Agricola chirurg. parv. tr. 5. commendat: *Bibe quotidie ex cranio hominis, & inde struma evanescit;* in leviori quidem tumore usum aliquem præstabunt, alterando principium nostrum vitale, ut ab opere illo desistat, cum plerique hominum, præcipue superstitionis, non nisi cum horrore quodam tale quid tentent, an vero Bünsgensibus operi ferrent, valde dubito, ob morbi altius actas radices. Accedit, quod hujusmodi remediis ex corpore humano desuntis medicum rationalem vix deceat uti, multa enim habentur alia, quæ illorum loco substitui possunt. Hoc itidem notandum duco, de iis, qui stercore aliaque fœdida suadent v. gr. simum columbinum, caprinum, vaccinum &c.

§. XXXI.

E chirurgicorum mediorum classe, multi sectionem, ustionem, escharam atque similia laudant, quia vero nunquam satis tuta sunt, ea hic merito rejicimus tanquam minime convenientia Bünsgensibus, ad quæ & referimus scarificationes,

fonticulos, & id genus alia: Potiora quæ hic præsunt, erunt fotus, linimenta, cataplasma & emplastra discutientia, emollientia, incidentia, repellentia &c. hæc si rite adhibeantur, non negletis internis ceu præcipuis, minime de felici in cura successu desperandum erit. Sic fotus a quibusdam præscribitur notante Sperlingio l. c. ex fol. & rad. oxylapathi, pyrethro, & viridis æris in vino coctis, inter optimos vero refert spongiam spiritu salis ammoniaci & essentia camphoræ imprægnatam & impositam, quæ potenter discutiunt atque resolvunt. Anton. Marc. Venustus conf. med. p. 80. de strumis sæpe expertus est hoc mirabile remedium Rec. Porri cum foliis lapathi acuti ana 3ij. pulv. pyretibri 3ij. virid. æris 3i. M. contunde. & bis quotidie fore locum.

§. XXXII.

Linimentum ex ol. Bufon. quam plurimi experti sunt optime proficuum, cui adderem Oleum scorpion. simpl. atque compos. Matthioli in hujusmodi tumoribus alias præstantissimum. Ortolph. Maroldus pr. med. tit. Strum. hoc præscribit Rec. succi raphan. sabin. acet. & Smegm. ana q. f. M. inungatur struma mane & vesperi & evanescet. Inter cataplasma ta commendat Franc. Joel oper. med. tom. 2. Lib. 2. f. 8. Rec. Filicis asplenii, ebuli ana 3ij. concisa coqu. in vino opt. ad molliiem, tunc vino effuso radices contunde, quibus admisce sulph. vivi 3i. ciner. cochl. 3ij. & cum mellis & acetii p. aqu. redigantur in cataplasmati formam & strumis imponantur, quas mirifice absununt. Ab aliis adhibetur pulvis folior. cupressi vino consperformatum & in massam redactorum, quo strumæ illini debeant, nec nisi nono die solvi.

§. XXXIII.

Emplastrum præstantissimum ad strumas emolliendas habet Joh. Vigierius armament. chir. Lib. 2. cap. 15. Rec. succ. nicotian. maj. ℥ss. succ. absinib. pontici maj. 3ij. Ol. Hyperici, irin. ana 3iſ. absinib. pont. maj. prunell. scrofular. ana Mj. vin. alb. 3iſ. M. Bulliant ad vini & succi ferme consumtion. in vase eneo semper agitato; hinc exprimantur. Tunc Rec. Cera slava 3iij. adip. birei, terebinth. ana 3ij. thuris pulv. Myrra ana 3i. F. Emplastrum, Strumas & omnes

E omnes tumores frigidos potenter resolvit. **Theod. Mayerne** suadet Empl. sequens plurimum valens: **R₂ Mass.** Empl. dia-
cyl. ireati & de mucilag. ana ʒij. Empl. de ranis c. quadruplicate
ʒio ʒij. Cinnab. subtiliss. pulverisat. ♀ dulc. ana ʒi. pulv. subtiliss.
rad. Bryonie & sigill. B. Mariae ana ʒij. Campb. ʒi. M. & cum s. q.
balsam. peruv. f. Emplastrum, cuius portio extendatur in aluta molli
& glandulis applicetur. Hæc sunt quæ ex aliorum experientia
non incongrua visa sunt, maximam tamen laudem Mercu-
rialia rite adhibita merentur, qui plura desiderat, adeat mo-
do citatos fontes, ubi passim sufficientem copiam remediorum
quorumcunque inveniet.

S. XXXIV.

Communicationi Magnif. D. D. Præsidis tanquam ex-
pertissima debeo, Linimentum ex 80. Q. Sapon. Petr. alb.
Axung. human. & Ungt. Martiat. August. atque Emplastrum
ex G. Ammon. Querc. de Melilot. Sperm. Cet. & de Ran. Vig. c.
♀ quod superimponendum: Facta emollitione, post solum
Empl. Oxycroc. c. diaph. Myns. sufficere asserit, intus simul ad-
hibendo mane ac vesperi, Da decrescente ʒij. pulv. ad Strum.
Aug. c. & ʒii juncta, intereaque aliquoties de die haustum
decoct. Calc. Viv. dilutioris c. lentisco & scrophular. pa-
rati, quocum millepedum pulveris. Gr. XV. velut usus proba-
tissimi in quibuscunque partium & viscerum tumoribus scir-
rhosis, sumere convenit.

S. XXXV.

Cum autem in tanto malo ubi Massa sanguinea & simul
interiora ut plurimum affecta sunt, externa unice minime
sufficientia sint, sed & interna iisdem viam parare & potio-
rem curæ partem absolvere debeant, mihi incumbit ut nunc
ad illa progrediar. Ex his vero proderunt certe evacuantia,
aperientia, resolventia, alterantia & humores pœcantes cor-
rigentia &c. Evacuantia si spectemus, Vomitorium in prin-
cipio non plane rejiciendum est, ubi nimirum ventriculus
multis cruditatibus repletus fuerit, nec aliæ circumstantiæ
obstant. Inter Pargantia eminent phlegmagoga, hydраго-
га, & melenagoga, ut primæ viæ & massa sanguinea repur-
getur,

getur, hujus tenoris sunt ♏. dulc. rite præparat. rad. Helleb.
nigr. ejusque extr. Extr. Panchymag. Croll. Troch. alhand.
rad. & Resin. Jalapp. Gumm. Gutt. succ. Ireos nostr. Aur.
fulmin. & alia; debilioribus subjectis convenient quo-
que mitiora, ut fol. Sennæ & illor. Extr. Rhabarb. rad.
Bryoniae similiaque, ex quibus medicus rationalis pro con-
stitutione ægri debitum selectum instituere & ulterius pro lu-
bitu vel etiam palato ægrotantis sub qualibet forma propi-
nare poterit. A Theod. Mayerne l. c. Pilulæ sequent, in-
terpositis duobus diebus (quibus cibo & potu laudabili vi-
res instaurandæ sunt) exhibentur 12. pil. coch. min. calomel.
River. anaði. olei anisi Gutt. ij. m. f. pilul. pro dosi sumend. in
aurora. Ubi monendum, quod purgantia omnino per tem-
pus aliquot continuari debeant, ut materia peccans his tu-
moribus eo fortius subducatur, interjecto tamen semper in-
tervallo nonnullorum dierum, quo tempore omitti possunt
& illorum in locum sequentia in usum vocari.

§. XXXVI.

S. XXXVI.
Prosunt itaque sudorifera, aperientia, diuretica alterantia & acidum viscidum destruentia atque similia. Huc spe-
Etant C. C. ust. vel Λ & Θ volat. ejus liquor C. C. succi-
nat. Λ & Θ volat. viperarum, TR. Bezoard. Λ Θ ammo-
niac. ex regno minerali, Δ pingv. succin. Martialis, & dia-
phor. simpl. & ♂tial. Antihect. Poter. ex vegetab. rad. aco-
ri veri, Zedoar. Zinzib. Herb. carduibenedit, fumar. Bacc. Lau-
ri, Junip. Lign. & Gummi Gvajac. Λ Junip. Sambuc. rad.
armoraciæ, Sem. Sinapi, Piper, Cardamom. Cubeb. Λ Cam-
phor. pro scopo diluendi & viscidum incidendi potus Thee
& decoct. Lignor. ex rad. sarsapar. Glyzirrh. fol. & flor. aquileg.
& aliis modo dictis non inadæquata forent; & reliqua
hinc inde a probatisimis auctoribus præscripta, usum sane
non contemnendum præbent, dum humores vitiosos mo-
vent, discutiunt, expellunt, & sic nutrimentum huic morbo
detrahunt, ne incrementum ulterius capere queat, imo ipsam
in strumis materiam peccantem commovent, resolvunt & re-
movent optime.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Specifica demum multis celebrata in censum veniunt, quibus præmissis præmittendis locum non denegandum puto, non tamen promiscue admittenda erunt, sed potius ubi experientia vel propria vel aliorum edocti sumus, aut sana ratio non dissuadet. Sic non constat, cur spongiæ ejusque præparatis, scrophulis porcorum supra memoratis præ aliis congeneribus tantum tribuamus, & quando Hier. Mercurialis L. i. cap. 5. dicit *experientia comprobatum esse Ol. cucum. afinni si auri instilletur, qua parte est struma, maxime valere ad eam discentiendam vel dissolvendam fidem penes auctorem & experientiam ejus relinquo.* Subscribo magis Hollerio *inst. chir. L. i. c. 2.* suadenti cupressi folia in pulverem comminuta & fortiori vino conspersa, quibuscum tumor illinatur. Laudatur quam maxime rad. vincetoxici, cuius decoct. suibus strumosis medetur, ut & scrofularia herba, quæ inde quoque ita nominata est, & sane nil impedit, quo minus tanquam specifica hominibus etiam auxilio sint Fons ille in Hungariæ pago Trnawka cuius mentionem Sperling. l. c. facit, quod aqua ejus strumas sanet, si quis eandem per aliquot hebdomadas bibat, Bünsgensium tractui exorandus esset; memini quoque me de simili in Silesia existente audivisse, itaque non male agerent strumosi, si frequentarent hæc loca & illas aquas sibi pro potu eligerent.

§. XXXVIII.

Verum enim vero omnia hæc incassum forent commenda nisi Diæta conveniens succurrat, quæ in præservatione & que ac in ipsa curatione studiose observari debet, nimirum cuncta crudiora salsa, acido-viscida, fæculenta nimis, tartarea limosa, aëre siccata, fumo, indurata, leguminosa, pinguis, cum primis frigidæ potus evitanda sunt, & potius laudabilia ac evpepta in usum vocanda, quæ facile digeruntur, bonosque humores succosque generant e. gr. carnes animalium juniorum, aromata, panis fecalinus modice fermentatus; pro potu vinum generosum purum tamen & minus tartareum,

cerevi-

cerevisia probe defæcata, vel alia potulenta puriora & diluentia, ut Thee, it. Thermæ v. gr. Carolinæ vel fontium supra recensitorum aqua, & quæ sunt alimenta optima quæ conditio regionis aut anni tempora suggerunt. Sic sensim corrigentur humores, sensimque malum ipsum capiet decrementum, cui, ut detergatur penitus, remedia idonea dein eo commodius succurrere poterunt.

§. XXXIX.

Et ita habes B. L. quæ de Bünsgenfium Strumis ac Scrophulis in medium erant proferenda; si tibi forsitan in sufficientia visa fuerint, putas, me brevitatis causa non nisi summa momenta dare potuisse, hinc & studio varia omisisse, quæ non proprie ad Bünsgenses eorumque morbum spectarent; si tua persona vel eruditione indigna, meæ infirmitati condones quæso, quæ præsttit, quantum potuit.

T A N T U M!

S. D. G.

